

*Jamq; fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat, fusiq; urbis per mœnia cuncti
Conticuere, sopor fessos complectitur artus;*

*Cum domum subeunt hominis divitis, & omnium
rerum copiâ abundantis, in quâ manebat urbanus mu-
sculus. atq; ibi inductus rusticus in triclinium colloca-
tur super auratos eboratosq; lectulos, qui purpuratis &
conchiliatis vestibis essent instrati. Ipse de reliquiis,
quæ erant varia & multiplices, agitati pridie illius diei
convivii, afferre sedulo bellissima quæq;, & ministrare
studiosè hospiti, utq; hilarè vescatur us, quæ maximè
placeant, hortatur. Rusticus inter hæc beatam se puta-
re, et in summâ letitiâ lautissimis cibus se replet, eam-
que vitam expetendam, suam miseram esse prædicat,
cum subito fores strepunt, & cardines sonant, hominūq;
& canum voces exaudiuntur. Ibi convivæ musculi dis-
currere & trepidare, inprimis autem rusticus, cui, ut
externo, omnia essent insueta et ignota. Tandem reddito
silentio, & turbâ sedatâ, tremens toto corpore & subsi-
liente corde rusticus, Non mihi placet hæc vita, & vale,
inquit, amice: Ego intra silvas & montes ad tenuem
victum & ervilias meas revertor. Malo enim in securi-
tate pauper quàm in opulentiâ maximâ sollicitus sem-
per & anxius vivere.*

*Docet fabula, optimum esse, ut quisq; suâ sorte
contentus vivat, neq; splendore fortune ad curas &
anxietates occultas invitari se patiatur. Hanc Horatius
fabulam copiosè versibus descripsit, lib. 2. Satyrâ. 6.
quem locum nos quasi reddere studuimus expositione
nostrâ.*

Aquila